

/ Serenissime Princeps, Domine observandissime. Cur librum me-
um de Officio Principis Christiani nomini tuo potissimum dicare
voluerim; ex Epistola dedicatoria in ipso libro excusa, vel jam
didicisti, vel brevi addisces. Sed, praeter epistolam publicam, et
5 solemnem, addere volui privatam, et familiarem manu mea propria
scriptam, ut intelligas, tibi que persuadeas, Te ab universa Socie-
tate Jesu, cujus ego Filium me esse gaudeo, in primis coli, et ob-
servari: et pro incolumitate, et exaltatione Tua, non in terris so-
lum, sed etiam in Caelis preces ad Deum a nobis omnibus assidue
10 fundi: parum enim prodesset gloriae tuae, si regnares in toto Or-
be terrarum ad annos plurimos, nisi etiam in Regno Coelorum cujus
nullus unquam erit finis, cum Christo regnares. Addo etiam munus-
culum me tibi potissimum offerre voluisse in gratiarum actionem
pro multis, et magnis beneficiis, quae in Societatem nostram Sere-
15 nissima Domus Vestra et contulit hucusque, et conferre non desi-
nit. Sed illud proprie tuum est, quod participationem bonorum ope-
rum, quae in Societate ipsa ad gloriam Dei, ubique terrarum fiunt,
a Reverendissimo Patre Generali tibi communicatam, libenti, et
gratissimo animo accepisti: et illud, quod Patrem spirituales, qui
20 Sacramentum Poenitentiae tibi administraret, teque in via Domini,
quae ducit ad vitam, fideliter dirigeret, ex eadem Societate spon-
te elegisti. Perge igitur, Princeps optime, non de Societate nos-
tra solum, sed etiam de universa Catholica Ecclesia bene mereri,
ut adhuc fecisti, et facturum ad annos plurimos non sine magna ra-
25 tione speramus. Vale, meque inter homines gloriae tuae addictissi-
mos numera. Romae die 26. Februar. 1619.

Epist. famil. CLVIII.

Wladyslaus
of Pref. de Officio Princ. Christ.
Int 1619